

Stochflecke

G. J. 1700

Thes. P. VIII. 367 641.

21
EXPLICATIO

ἐλεγκτικὴ

Evangelii Domin. I. Adventus
& Domin. Palmarum.

Quam

DEO DUCE

P R E S I D E

Dn.

JOHANNE GERHARDO

DOCTORE ET PROFESSORE
THEOLOGO

Suo

*Patrono, Favitore, & Preceptore multis
nominibus suscipiendo.*

Ad disputandum proponit

VDALRICUS GISENHAGEN
Gustro Megap.

Ad diem XXVIII. Decembris.

ANNO M. DC. XVI.

J E N Æ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.

EXPLICATIO

Evangelii Domini I. Adven-

tus & Domini Palmarum

DEO DICE

P R A E F A T I O

Dr.

JOHANNES GERHARDO

DOCTORE ET PROFESSORE

THEOLOGO

2no

Patrono, Facultate, & Praeceptorum

nomine suscipiendus

et disputationum praesens

ADALRICUS GISENHAGEN

Gustro Magap.

Ad diem XXVII Decembris

ANNO M. DC. XVI

J E N A

Typis Joannis Steinmanni





Σὺν Θεῷ.

EVANGELIUM

DOMINICA I. ADVENTUS

& Dominica Palmarum.

THESIS. I.



DE triumphali Salvatoris nostri JESU CHRISTI ingressu in Jerusalem ζ. θ. τ. disputaturi (longis ambagibus rejectis) meritò expandimus manus nostras, levamus oculos nostros ad eum, à quo venit auxilium nobis, imploramus (cùm non simus sufficientes aliquid cogitare à

nobis quasi *sex nobis*) DEI opem, ut corde nostra Spiritus sancti gartia obumbret, mentes nostras cœcas illuminet, quò nihil proponamus, faciamus, loquamur aut cogitemus aliud, quàm quod illi placeat, Divinæ Majestatis gloriam concernat, inq; nostram & temporalem & æternam salutem feliciter cedat ac vergat.

2. Antequam verò rem ipsam aggrediamur, sicco (quod a junct) pede haudquaquam Pelbarti prætereundus error, quo ob sequentes rationes, Adventus celebrationem institutam egregiè nugatur

- 1. ob B. Virginem, quæ eodem tempore gravida, partusq; illi imminebat.
- 2. Ex parte Patrum V. T. qui in Limbo, usq; ad Adventum Messia fuere reservati, undè & quatuor animarum receptacula, fabulatur.

3. Sed quùm hæc magis anilia ac puerilia sint, quàm veritati ac S. S. Scripturæ consentanea, rectè rejicimus has ineptias, ac melius à Spiritu veritatis edocti, in gloriam & honorem Redemptoris nostri præsentem celebramus diem, memores istius Psalmi 24. v. 7. Attollite portas, Principes vestras, 29. v. 2. Adferte Domino gloriam & honorem 68. v. 35. date gloriam Deo, & 96. v. 7. 1. Cor. 10. v. 32. Omnia in gloriam Dei facite.

4. Sequitur ipsa Historia, quæ haud incommodè tribus absolvitur partibus, si dicatur 1. de ingressus Messia apparatu. 2. de ipso ingressu & Messia equitatu. 3. de populi comitatu.

A a

f. n

5. In prima parte consideranda sunt, 1. Tempus: Nonnulli Dominica Palmarum, quinto videlicet die ante Christi passionem hæcce accidisse dicunt, tempore aliquo præterlapso, post Christi ex inferiori Galilæa reditum, cum jam in conspectum urbis venisset aut certè propè cum comitatu accessisset, ut vix (nèdum vix quidem) ad horæ spatium abesset, quod & *Matth. Marc. & Luc.* dum vocabulo Appropinquaret, utuntur, innuere videntur; Alii inter quos *Salmeron. t. 6. p. 293. & Aret. supra b. l.* paulò aliter. Cum Christus ex regione deserti & Jericho venisset, nocteq; præcedente in Bethania pernoctasset apud Mariam & Martham, ubi etiam cœna illi est exhibita, postero die sese ad huncce ingressum accingens, Hierosolymam ad persolvendum λύτρον pro peccatis hominum properavit, quibus & D. Johannes *c. 12. v. 2. & 12.* adtipulatur: Sed nulla in hisce sententiis discrepantia.

c. 21. v. 1.

c. 11. v. 1.

c. 19. v. 29.

6. 2. Locus, in quo pompam ingressus sui ornandam meditatatus fuit Dominus, dicitur Bethphage vicus propè urbem ad radices montis Oliveti situs: nec obstant diversa Evangelistarum verba, dum *Matth.* cum appropinquassent, & venissent Bethphage, *Marc.* dum appropinquaret Hierosolymæ & Bethaniæ, *Luc.* cum appropinquassent ad Bethphage & Bethaniam; siquidem exinde nulla rei contrarietas, dextrè hisce intellectis, elici poterit: ἤλθον enim propè venisset interdum significat.

7. Nec vocula εἰς βηθφαγήν vertenda (IN) sed prope Bethphage, quæ eandem hoc loco meretur vim, quam *Luc. 18. v. 35.* cum appropinquaret Hiericho, & *Marc. 10. v. 46.* veniunt Hiericho, ubi εἰς non (IN) sed non longè sive propè significat. Est enim Bethphage teste *Barrad. Aret. Salmeron* aliisque quamplurimis vicus Bethaniæ propinquus & Hierosolymæ, undè qui Bethphage venerat, etiam Hierosolymæ & Bethaniæ vicinus erat; nec affirmativa per se importat exclusivam, multò minus contradictoriam; quare non culpandi Evangelistæ, dum hic & Bethaniæ & Bethphage, alter Bethphage tantum facit mentionem.

8. Dicitur autem Bethphage domus maxillarum teste D. Hieron. Origen. Theophyl. & aliis, quod & vocabuli ἔθμον probat ביתא enim domum & פה maxillam Chaldaïs Hebraïsque significat; alii domum oris vallis reddunt ביתא domus פה os, & ביתא vallis assent, *Francisc. Luca super 22. cap. Matth.*

9. De

9. De Bethphage scribit Haymo esse viculum in latere montis Oliveti situm, in quo habitabant Sacerdotes, Pontifices & ministri, qui octonidiebus offerebant sacrificia & ministrabant in templo Domini. Salmeron. t. 6. b. l. Erat vicus sive villa ad captandam recreationem ad aliquos dies post ministerium, vel ut in ministerium templi ingressuri, in ea quiescerent & se prepararent, constructa: Aliis Bethphage est locus, in quo habitaverunt quidam Sacerdotes ac Levitæ, qui in civitate Hierosolyma non habuere commoda domicilia, quare (ut verisimilius) Sacerdotes ex hoc loco Paschales victimas & alias deducebant in Jerusalem. Errat itaq; Druthmar: dum domum maxillarum vult appellatam villam, propter capita arietum & hircorum, quæ ibi jacebant.

10. Mons Olivarum, sic dictus, quod multis confitus Olivis, unde & Act. 1. v. 12. ἐλαιῶνος oliveti mons dicitur; imminet urbi ab oriente cæteris montibus altior, distans tantum itinere Sabbathi dict. cap. 1. v. 12. (quemadmodum etiam historia captæ urbis indicat apud Josephum, eum non procul ab urbe distare, cum Titus Imperator cingens obsidione urbem, partem etiam hujus montis sit muro complexus) sive sex stadiis si à vertice, sive quinque si à pede occiduo metiaris, recensente eodem: celebris certè mons iste 1. Christi ascensione Marc. 16 v. 19. 2. præsentis historia. Matth. 21. v. 1. Marc. 11. v. 1. Luc. 19. v. 29. Iohan. 12. v. 12. hinc 1. ad crucem procedit Matth. 26, 30. Hinc 2. ad gloriam Patris ascendit Act. 1. v. 9. & 12 Ephes. 4. vers. 10. Iohan. 20. vers. 17. 3. hinc sese Regem Judæis & verum Messiam obtulit.

11. 3. Personæ 1. mittens Messias παρρησιῶν faciens, dum urbem planè nova (attamen humili) pompâ ingredi desiderat. 2. missi sunt duo discipuli, sic enim textus, τότε Ἰησοῦς ἀπέστειλε δύο μαθητὰς; moris etenim fuit Domino ex Apostolis binos & binos mittere, Marc. 6. v. 7. Luc. 10. v. 1. quorû operâ quoq; usus cum in docendo, tum in aliis rebus Matth. 26 v. 18. mittit discipulos ad parandum Pascha cap. 10. v. 1. mittit duodecim ad docendum & miracula edenda cap. 28. v. 19. Iob. 4. v. 8. mittuntur ad emendum panes: discipulos quippe omnium rerum non solum auritos, sed & occulatos vult esse testes.

12. Hinc magna inter nonnullos disceptatio, quinam hi fuerint. D. Hilar. Bed. Ambros. nominant Petrum & Philippum, Theoph. & Origen. allegoricè ad Petrum & Paulum applicant: alii Petrum & Johannem fuisse existimant, ast cum nominatenus

haud introducantur, minimè de eorum nominibus solliciti sumus, ex numero discipulorum duos à Christo missos fuisse, scire sufficiat,

13. 4. Mandatum, primò jubet ire in castellum, quodnam verò illud ipsum fuerit, non est expressum: Bethania juxta sententiam *Aret. super. Luc. cap. 9. p. 126.* videtur significari, ubi habuit amicos & vesperi etiam hujus diei eò divertit, quò etiam remissa fuisse jumenta ipsi videtur credibile,

14. Absurdi sunt, 1. qui castellum arcem aut magnatis palatium fuisse, scribunt, uti *Lyran. Abulen. Hugo Cardinal. & alii.* 2. qui intelligunt Jerusalem inter quos *Iohan ab Eck.* 3. ridiculi, qui Jerusalem contemptus gratià vicum seu castellum, vocatà statuunt, eò quod propter persecutiones Prophetarum non amplius fuerit digna civitatis nomine *Matth 23. v. 37.* Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas & lapidas eos: cum castellum h. l. non Jerusalem, non arcem, non palatium, sed vicum & oppidulum, mœnibus non cinctum significet, quod vocabulum Græcum κώμη, quo Evangelistæ utuntur, aperte declarat, opponitur quippe *1. Sam. 6. v. 18.* civitati muris cinctæ, uti etiam *2. Paral. 13. v. 19.* Ex quo discrepantia inter κώμην καὶ πόλιν liquidò constat.

15. Nec audiendi, qui phrasin *πῶς κατέναντι ὑμῶν* interpretantur, quod contrarium est vobis, inter quos haud postremus *Iohan. ab Eck.* Contra enim non semper id, quod resistere aut contrarium esse, sonat, quemadmodum *Exod. 16. v. 2. & 7. Levit. 10. v. 16. Num. 12. v. 1. Deut. 11. v. 25. Iudic. 7. v. 2. Iob. 15. v. 13. Esa 59. v. 23. Ierem. 48. v. 26. Matth. 12. v. 30. Rom. 8. v. 31.* Sed quod est ante vos, sive in conspectu vestro: sic *Psalms. 51. v. 5.* peccatum meum contra me est semper, hoc est, coram vel antè me. *Matth. 27. v. 16.* Erant sedentes contra sepulchrum, id est, è sepulchri regione: male itaq; (ut supra dictum) hîc intelligitur Jerusalem, quia à loco, in quo erat Dominus, non poterat isthuc, propter interpositum montem Olivarum prospici; verisimilius autè statuitur fuisse κατάλυμα sive publicum diversoriū, in quo habitavit paterfamiliās, qui asinam unam vel plures habuit meritorias, quas pretio conduxerunt peregrini, ex itineris molestia defatigati, ut montem Oliveti ascenderent, & imponerent illis onera in urbem deferenda.

16. 2. Jubet adduci Dominus asinam pullumque cum ea, quò
yatic-

vaticinio *Zachariae* 6.9.7.9. satisfiat, majestatemque declaret, dum in ipso introitu pagi mox inventuros & asinam & pullum, super quem nullus hominum unquam, sederit *Matth.* 21. v. 2. *Marc.* 11. v. 2. *Luc.* 19. v. 30. praedicit, & ex eo certiores reddebantur discipuli, dum illas notas (quas ut *τενύμνητα* indicaverat Dominus) inveniunt.

17. Certè non audiendi, qui Messiam ea de causa asinam pullumque sibi adduci jussisse, fingunt, quasi mortis propinquæ meditatione ac prævisione, vires sic coepisset amittere, ut jumento ad faciendum iter opus haberet.

18. Per asinam alligatam & pullum intelligunt populum Judaicum & Gentilem: alligata quippe asina referente *Beda*, *Hieron.* *August.* *Chrysost.* Judaicam synagogam; pullus Ethnicum populum denotat, quare rectè *Matth.* tùm asinâ tùm pullo vectum Christum dicit, quia ex utroque populo elegit sibi Ecclesiam; Judæi enim sub onere legis gemebant, gentes verò sine lege vivebant, utrisque Christus, Salvator & Rex datus est, quò fide in ipsum salventur; ligata erat asina, ligatus quoque quibusdam videtur fuisse pullus, quia tam Judæi, quàm Ethnici peccatorum vinculis erant obstricti, Redemptoreque à quo solverentur indigebant; misit itaque Dominus discipulos ad solvendum asinam, misit quoque discipulos ad solvendum Judæos & Ethnicos, peccatorum funibus vinctos *Matth.* 28. v. 19. Ite, quodcunque solveritis &c *Matth.* 16. v. 19.

19. Circa hoc mandatum & mandati executionem sic allegorizat *Francis. Costerus conc. part. 3. p. 549.* Nota (inquit) quinq; modis Apostolos absolvere homines 1. annunciatione Evangelii. 2. per Baptismum. 3. per absolutionem. 4. per consilia & monita. 5. per merita & pœnalia opera, quibus justis nobis à Deo pœnitentiam impetrant & cordis emollitionem ac pœne post culpam remissam adhuc debita, condonationem: Sed nimis audacter, ultimum Costere apponere ausus es modum, quis enim (nisi fanatico quodam Spiritu ductus, insidiisque antiqui serpentis obcecatus) justos per pœnalia opera ac merita nobis impetrare cordis emollitionem ac pœnitentiam, unquam docuit? ubi scriptum? non in codice sacro, sed in cerebello Costeriano; quid etenim merentur Sancti? nihil, cum nec pro suis peccatis; nedùm pro aliis debitas possint solvere pœnas *Roman.* 7. v. 25. D. Paulus, infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratias ago

ago (non Sanctis) sed Deo, per J.C. Dominum nostrum *Pf. 121. v. 1.*
Levavi oculos meos in montes (non in Sanctos) unde veniet
auxilium mihi, *v. 2.* auxilium meum (non à Sanctis) sed à Domi-
no, qui fecit cœlum & terram. *Pfalm. 121. v. 2. & 130. v. 1.* de pro-
fundis clamavi ad te Domine: Qui itaq; juxta Costeri instructio-
nem, quantum affirmant modum, hi contra illud *Es. 42. v. 8.* gloriam
meã alteri non dabo, facientes, à Christo abducunt, Diabolo ad-
ducunt.

20. 3. Instruit Dominus pro futura necessitate discipulos;
cogitare quippe poterant, quid si dominus herilis jumenta nolit
cōcedere? quid si prohibeat? licebitnè Domino in salutato addu-
cere? Licet Christus omnium sit Dominus, qui absoluto jure hisce
uti poterat, attamen causam necessitatis allegat, bonaque cum
dominorum voluntate impetrare jubet discipulos.

21. Sed non immeritò hic oritur quaestio: Quomodo verum
esse poterit, rerum omnium Dominum *Matth. 11. v. 27. Act. 17. v.*
24. hisce jumentis, aut ulla omninò re opus habere? quod si ad
equitandum vehiculis indiget, habet longè nobiliora quibus insi-
deat, currus enim Dei decem millibus multiplex, millia latantium;
Pfal. 68. v. 18. & 17. v. 11. ascendit super Cherubim & volavit: vo-
lavit super pennas ventorum. Si itaque talia sunt vehicula Dei,
quomodo his adeò vilibus jumentis, se egere ait? Eget planè non
tamen sibi, sed M I H I, terrebat enim me olim illa majestas, de
qua scriptum est, terribilis apud omnes reges terræ *Pf. 76. vers. 13.*

22. Sed causa videtur manifestissima. Estque in promptu
responsio, dum *Matth.* subjungit: Hoc autem totum factum est,
ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam: oportuit enim
adimpleri Scripturam hanc in Christo, quia divinitus destinatum
erat, ut antè passionem a sino vectus, ingrederetur Jerusalem; præ-
dictum est à Spiritu sancto, quia futurum erat, futurum autem erat,
quia divinitus destinatum, destinatum verò cur fuerit, ex Scriptura
Prophetica colligi potest, videlicet quod ita visum sit exprimere
regni Christi, & qualitatem & quantitatem: qualitatem, quod esset
futurum, pacificum, quantitatem, quod futurum amplum & po-
tens: quare non sublevandi itineris aut affectandæ novitatis
causã, sed propter impletionem vaticinii Prophetici, Dominus
hocce peregit; nec animo irato, uti quondam Adamo *Gen. 3.* sed
hodiè

hodiè mansuetus apparet sedens super asinam & pullum filium subjugalis. Sicuti enim Reges alio habitu vestiuntur cum ad bellum, alio cum ad venandum, alio cum ad funera, alio cum ad nuptias prodeant; ita quoque Rex noster cœlestis, dissimili ornatu, diversis at tamen temporibus apparet, aliter ad redimendum miser, mansuetus, humilis, aliter ad judicandum in nubibus cum potestate & gloria magna, *Matth. 25. v. 31.*

QVÆSTIONES EX HAC PARTE.

1. An Christo secundum humanam naturam competat Omniscientia? *Bulling. Beza Sadeël. Lampad. Calvin. cum suis affectis, negant: Sic enim Benedicth. Thalman. Christum esse quidem omniscium secundum divinitatem, non autem Humanitatem, quia omniscientia humanitati assumptæ nunquam realiter communicetur: Anton. Sadeël. in oper. Theol. de veritat. human. Christi naturæ p. 157 sic argumentando contra nos insurgit. Si verbum realiter communicat suas proprietates humanæ naturæ, humana natura realiter est ab æterno, sed blasphemum consequens E. & antecedens: sed ratio consequentiæ manet occulta, quam in æternum non probabit Sadeël. Est enim diversa ratio inter æternitatem & omnipotentiam, omniscientiam, vim vivificandi &c. Æternitatem humanæ Naturæ Christi ἀμείωτος communicatam esse, nusquam asserit Scriptura, sed omnipotentiam, omniscientiam, vim vivificandi communicata esse, disertè docet. Præterea æternitas humanæ Naturæ, repugnat incarnationi sive assumptioni ejusdem humanæ Naturæ in ὑπόστασιν τῆς ἁγίας factæ in tempore. Denique ea communicata sunt humanæ Naturæ, quorum usus est in operibus officii Mediatoris &c. Sic Iohan. Lampad. Si caro Christi habet omniscientiam, habeat eam vel essentialiter, vel subjectivè, vel formaliter, vel habitualiter; At nullo isto modo. Ergo non habet. Resp. Ex insufficienti enumeratione specierum non valet consequentia; quia carni Christi competit majestas Omniscientiæ, Omnipræsentiæ &c. ex unione cum Λόγῳ, quæ unio neque essentialis, neque subjectiva, neq; formalis neque habitualis, sed hypostatica. Nec dicimus absolutè competere Christo homini, sed ratione unionis personalis, sicut vita corpori non absolutè, sed ratione animæ, tribuitur; sed dicant quid velint, verbum Dei veritatem docet, illi mendacia. Nos illis*

B talem

talem ex hodierno Evangelio objicimus syllogismum. Qui exactè ea omnia, quæ circa dimissionem asinæ eventura essent, novit, ille radios suæ Omniscientiæ exerit. Christus (etiam secundum humanam naturam) exactè ea omnia quæ circa dimissionem asinæ eventura essent, novit. E. Christus (etiam secundum humanam naturam) radios omniscientiæ exerit. Major patet. Minor probatur. Christus enim, ut Deus & Homo absentia videt, 1. novit certè pullum ligatum esse. 2. novit esse indomitum *Luc. 19.* 3. super quem nemo equitavit. 4. prævidit dimissionem spontaneam *Mat. 21.* Sic 5. novit illum qui fert hydriam *Luc. 22. v. 10. & 11.* 6. Nathanaëlem sub ficu. *Iohann. 1. v. 49.* tale de ipso testimonium perhibentem; Rabbi, tu es Filius Dei, hæc & similia Omniscientiam **C H R I S T I** proclamant, quæ ipsi non quæ Deo, sed quæ homini ratione *ἐνστικτός* est communicata: Norunt interdum Prophetæ etiam absentia, ut Elisæus quid famulus absens faciat *3. Reg. 5. v. 26.* Sic Samuel Sauli asinas Patris indicat. *1. Sam. 9. vers. 20.* Sed hæc non habent ex se, sed revelatione Spiritus sancti, quæ Christus quæ Deus, æternusque Dei Patris *λόγος* ex se & sua natura novit, cujus omniscientiæ ratione *ἐνστικτός* humana quoque in Christo natura, ad dexteram Dei exaltata, plenè particeps facta. *Matth. 28. v. 18.* data est mihi omnis potestas, non secundum divinam, secundum quam ab æterno est ipsa omnipotentia, E. secundum humanam naturam, ut codex sacer passim testatur. In ipso sunt absconditi omnes thesauri sapientiæ & scientiæ *Coloss. 2. v. 3.* Scit omnia. *Iohann. 21. v. 17.* quæ in cordibus abstrusa latent *Iohann. 2. vers. 26. Matth. 9. v. 4.* Est *καὶ ἐπιστογιώδης*. Errant itaque Agnoëtæ veteres & recentiores, qui Christum secundum humanam naturam, in gloria sua non omnia scire asserunt. Nec obstat locus *Marc. 13. v. 32.* ubi ignorare dicitur diem judicii extremum, scilicet in statu exinanitionis, quatenus homo, non verò majestatis & exaltationis, in quo nunc omnia novit. Ex his & similibus quamplurimis S. S. Scripturæ dictis, liquidò constat, Christum etiam secundum humanam naturam esse omniscium, quibus meritò testimoniis plus fidei tribuimus, quàm frivolis Calvinistarum assertionibus.

2. An Christus sit verus & æternus Deus? Quicumque potest propria virtute rem absentem cognoscere, & corda hominum hominum in assensum flectere, ille est verus & æternus Deus.

Christus

Christus potest propria virtute rem absentem cognoscere, & cor-
 da hominum in assensum flectere. E. Christus est verus & æter-
 nus Deus. Min. patet ex textu: nec Major singulari indiget pro-
 batione, fieri quidem potuisset (si vel maximè non fuisset verus
 æternusque Deus) ut a sinu Dominus de illo non malè sentiens li-
 benter ipsi annueret, scire verò an futurus esset domi? an ei tunc
 commodum esset? an fidem habiturus discipulis? in nuda ho-
 minis cognitione ac arbitrio non fuisse sita, facile quivis videt;
 nec obstant Phorinianorum somnia, hinc inde C H R I S T U M
 non æternum esse Deum clamitantes, Ostorodus in Inst. Germ. c. 6 p.
 39. impudentissimè scribit de divina C H R I S T I natura, ne unicum
 quidem verbum in Scripturis ostendi posse, quin potius repugnare iisdem,
 1. Christum habere naturam divinam; 2. Christum esse æternum Dei
 Filium, addit insuper 3. generationem ejus ex substantia Patris esse im-
 possibilem, 4. nomen Iehovæ & magni Dei nusquam in Scripturis attribui
 Christo. 5. nusquam Christo attribui quod creaverit cælum & terram.
 6. dici Filiū Dei, non quod sit naturalis Dei Filius ex substantia ejus ab æter-
 no genitus, sed quia inter omnes Dei filios sit præcipuus & Deo charissimus,
 Et quæ blasphemix, aliæ quamplurimæ ab illis proferuntur. Nos
 contra Deitatem Christi probamus 1. à divinis nominibus. Cui
 verè simpliciter ac absolute cõpetunt divina nomina, ille est ve-
 rus & æternus Deus. Christo verè absolute & simpliciter com-
 petunt divina nomina. E. Christus est verus & æternus Deus.
 Major patet. Exod. 3. v. 6. Esa. 42. v. 8. Ose. 12. v. 5. ut evidenter Psal.
 82. v. 19. יהוה אחד tu nomine tuo solus Jeho-
 vah. Min. prob. Esa. 7. v. 14. Immanuel cap. 9. v. 6. Pater æternus,
 Jer. 23 v. 5. Rom. 9. v. 5. ubi observa, illa quæ in V. T. de vero Deo &
 Iehovah enunciantur, in N. T. ad Christū accomodari, q̄ patebit, si
 conferas dicta V. T. cū Novo, Job. 19. v. 25. cum Iohan. 5. v. 28. Esa. 6. v. 1.
 cum Ioh. 12. v. 41. Ps. 68. vers. 18. cum Eph. 4. & 6. 2. à divinis proprie-
 tatibus tū essentialibus æternitate & infinitate, tū personali-
 bus, sic dicitur & est primogenitus omnis creaturæ Col. 1. v. 15, an-
 tequam Abraham erat, ego sum Ioh. 8. v. 58. Sic vocabulū HODIE
 Psalm. 2. v. 7. ab Orthodoxis Ecclesiæ Doctõribus pro ab æterno
 positum, est receptum, uti Michæas. cap. 5. v. 3. interpretatur à diebus
 æternitatis; apud Deum enim nullum est tempus, sed ipsa æterni-
 tas est coram ipso perpetuum quoddam hodiè. 3. ab æqualitate
 cum

cum Patre & ὁμοούσιος Iohan. 1. v. 18. æqualem se faciens Deo: Est n. ὁμοούσιος Patri, quemadmodum (teste B. Chemnit. in loc Theol. de tribus person. Divin. p. 51.) Orientalis Ecclesia propter Sabellium est locuta; Certum enim est, inquit idem: præd. loc. hoc vocabulo significari essentiae unitatem, hoc est, unam æternitatem, unam voluntatem, communem operationem, æqualem gloriam &c. Roman. 9. v. 5. Deus benedictus. 4. à divinis operibus, creatione scilicet & redemptione. 1. Creatione, omnia per ipsum facta Iohan. 1. v. 3. omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est antè omnes & omnia in ipso constant Coloss. 1. v. 16. & 17. per quem facta omnia Hebr. 1. v. 2. 2. Redemptione: Qui redemit totum genus humanum, ille est verus & æternus DEUS. Christus redemit totum genus humanum, ergò Christus est verus & æternus Deus. Major prob. quia nudus homo, potentiâ suâ finitâ, nequaquam redimere genus humanum, potuisset, impossibile enim sanguine taurorum (imò hominum) auferri peccata Hebr. 10. v. 4. Solus autem sanguis Iesu Christi filii Dei mundat nos ab omnibus peccatis; 1. Iohan. 1. vers. 7. Min. pat. Hebr. 9. vers. 12. Galat. 3. vers. 13. & 4. vers. 4. ut eos, qui sub lege erant, redimeret; dedit semetipsum pro nobis, ad Tit. 2. v. 14. redemit nos in sanguine suo Apocal. 5. v. 9. 5. à divino cultu adorationis: Qui verè invocandus, ille verus & æternus Deus: Christus verè invocandus; Ergo Christus est verus & æternus Deus. Major patet. Minor prob. Psalm. 22. vers. 28. 45. vers. 12. Sic cæcus Iohan. 9. v. 38. adoravit Christum. Magi Matth. 2. v. 1. Stephanus Act. 7. v. 59. Errant itaque Ebion, Cerinthus, Eunomius, Samosat. Photinus, Servertus, Arius & alii, Christum verum & æternum Deum esse, negantes. Colophonis loco talem illis proponimus syllogismum: Quicumque caret principio ac fine, ille est verus & æternus Deus: Christus secundum divinitatem caret principio ac fine. E. Christus est verus & æternus Deus. Min. Iohan. 1. vers. 1. Apoc. 1. v. 8.

II. Pars.

De ipso ingressu & Messie equitatu.

23. In secunda parte proponitur 1. Zachariæ Prophetiæ: *Dicite filia Sion &c.* Sion mons erat altissimus civitatis Jerosoly-
marum

marum, quam forma semicirculi ambiebat, toto australi tractu, eratque ei arcis & propugnaculi loco in eminenti, solita ac prærupta undique rupe fundatus, nomine Sion à siccitate accepto, quem ubi David Iebusæis ereptū munitiorem reddidisset, & in plateas vicosque distinctum domibus, & quidem magnificis, instruxisset, dicta est civitas David 2. Reg. 5. v. 7. Cujus successor, hæres & restaurator futurus expectabatur Messias, teste Iosepho. 2. Per filiam Sion Hebraicâ phrasi & quidem ad literam hîc intelligitur congregatio civium Ierosolymitanorum, sicut: Psalm. 45. v. 13. *Filia Tyri*, pro civibus & inhabitatoribus Tyri Psalm. 37. v. 8. *filia Babylonis*, pro civibus Babylonicis. Denunciatur autem peculiariter adventus hujus Regis filia Sion, & filia Ierusalem, siquidem ibidem (ut supra quoque dictum) arx & sedes erat regia, regni Davidici 1. Paralip. 11. v. 5. 2. Samuel. 5. v. 7. & 9. in quo habitaturus successurusque expectabatur Messias. Psalm. 9. v. 12. *Psallite Domino, qui habitat in Sion.* Ps. 65. v. 1. *Te decet hymnus Deus in Sion & tibi reddetur votum in Ierusalem.* Psalm. 99. v. 2. *Dominus in Sion magnus &* Psalm. 132. v. 13. *quoniam elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem sibi.* 3. sub nomine filia Sion ad literam comprehenduntur omnes *Israëlita*, regnum Davidis agnoscentes Iansen. 4. Per filiam Sion historialiter intelligitur *terrestris Ierusalem; mysticè Ecclesia*, in qua Christus verus David regnat Galat. 4. Raban.

L. xxv.

7

24. Neque particula attentionis (Ecce) flocci pendenda, quæ juxta morem Prophetarum & Apostolorum additur rebus aliqujus momenti. Zach. 9. v. 9. Esa. 7. v. 14. Dan. 13. v. 20. Malach. 3. v. 1. Matth. 22. vers. 4. Marc. 1. v. 2. Luc. 1. v. 20. & cap. 2. v. 10. Iohan. 1. v. 29. 2. Cor. 6. v. 2. Apoc. 5. v. 5. & alibi.

25. 2. Ingressus forma, in qua consideratur discipulorum obœdientia, & studium in exornando Rege. 1. adducunt asinam. 2. adductam deficiente ephippio vestibibus ornant. 3. Messiam imponunt.

26. Ridiculus proculdubio Pontificibus ac Pharisæis talis fuit Christi ingressus, dum asina vehitur. 1. cum sit animal contemptibile, 2. nullum eo magis insipiens. 3. nullum eo vilius pascatur. 4. nullum eo ad labores oneraque aptius: ast quod stultum hominibus, placet Deo, mundi etenim sapientia est coram

B 3

Deo



Deo stultitia *1. Cor. 3. v. 19.* placuit per stultam prædicationem
salvos facere credentes: *1. Cor. 1. v. 22.*

27. Et quis nostrum talem non sprevisset pompam, regiumque
honorem? Quæ enim hæc pompa regia? 1. super asinum equita-
re, 2. asinum præcario accipere. 3. ephippiis & ornatu, carere,
magnificus scilicet splendor! 4. magnum quidem, sed abjectissi-
morum hominum secum trahere comitatum. 5. faustas accla-
mationes, sed pauperum contemptæque plebis hominum
resonare? ô admiranda pompa! ô triumphalis ingressus! sed
placeant nobis, quæ Sapientissimo placuere.

28. Discipuli non rationem consulunt, sed piâ simplici que
obœdientiâ. 1. abeunt sine mora. 2. testantur se fidem habuisse
verbis Christi. 3. eventum respondisse prædicationi. 4. Chri-
stum in omnibus verè veraque locutum, quod testatur *Marc. cap. 11.*
Luc. 19. ipse enim est veritas *Ioh. 14. v. 6.* impossibile est eum men-
tiri posse. *Hebr. 6. v. 18.* est verax *Rom. 3. v. 4.* nunquam dolus in ore
ejus repertus. *Esa. 53. v. 10.*

29. 3. Finis. Perridiculum sanè, imò stultum prophanis
fuisset hominibus, nisi impletum Zachariæ vaticinium, testatus
enim multò antè erat Deus, per Prophetam suum, talem fore Re-
gis illius ingressum, qui ad restituendâ populi salutem venturus erat;
qua de causa in tali triumpho regnum cernim? Christi spirituale, ubi
Pater filium suum sub illa infirmitate & humilitate magis orna-
rat, quàm si cunctis Regum insignibus fulgeret. Ipse enim 1. auxi-
lium *Psal. 121. v. 1.* 2. Spes. *Ierem. 17. v. 17.* 3. Solatium *Rom.*
15. v. 54. ostium. *Ioh. 10. v. 9.* 5. Vita. *Iohan. 14. v. 6.* 6. Reconcili-
liator *2. Cor. 5. v. 18.* 7. Pax. *Ephes. 2. v. 14.* 8. Redemptor. *Zach. 9.*
v. 11.

30. 4. Salutant ipsam Regem, (siquidem constitutus Rex super
Sion montem sanctum ejus *Psal. 2. v. 6.*) 1. à dignitate. 2. regno.
3. Subditis: Venit autem Rex noster mansuetus, quia mansue-
tissimi instar agni *Esa. 53. v. 7.* peccata tollit mundi *Iohan. 1. vers. 29.*
talis Rex, quem mitti desideravit *Esa. 62. v. 1.* emitte. David.
Psal. 45. v. 5. procede & rege; supra hunc locum Chrysostr. inquit, si in-
tellexeris, venit tibi, id est, ut salvet te; si non intellexeris, venit contra te,
id est, ut perdat te.

31. Dicitur autem Rex justus & Salvator *Esa. 62. v. 11.* Justus,
ut justus

ut iustitiæ diviniæ pro te solvat debitum; Salvator, ut te salvet, salvet (inquam) à tartareis hostibus, & à peccatorum eripiat jugo; tartareos hostes Rex noster est deprædatus spoliavitque, & cœlestia spolia filiæ suæ divisit; Noli itaque nunc timere filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, humilis, Salvator & iustus, itemque pauper. 1. ut nos ditaret. 2. ut refelleret errorem Iudaicum ac doceret, quod non sit terrenus Monarcha. 3. ut incarnationis & redemptionis opus diabolum lateret.

32. Venit certè hoc modo 1. ne cogeremur ipsius conspectu & præsentiam fugere. 2. ut distingveretur hic adventus, ab eo qui erit ad iudicium. 3. ut exemplum humilitatis & mansuetudinis nobis præberet. 4. ut pro superbia protoplastorum satisfaceret: Vnde auctor operis in *Matth. imperfecti*: *Vu cognoscere mansuetudinem venientis? non sedet in curru aureo, pretiosa purpura fulgens: nec ascendit super fervidum equum, discordiæ amatorem & litis, qui gloriæ jactantia pedus habet repletum, qui de longè odorat bellum, & gaudet ad vocem tubæ, & cū viderit sanguineam pugnam, dicit in corde suo, benè factum est; sed sedet super asinam, tranquillitatis & pacis amicam, oneris ac laboris patientissimam; non autem vides in circuitu ejus splendentes gladios, aut cætera ornamenta terribilium armorum, sed quid? Ramos frondentes testimonia pietatis; venit ergo mansuetus non ut propter potentiam timeretur, sed ut propter mansuetudinem amaretur.*

33. Dubium existit hoc loco: Num Messias asinæ & pullo? num pullo tantum insederit? Quod pullo tantum, autor est *Euthym*: cui ad stipulatur *Abulen. Iansen.* & alii, dum *Marcus, Lucas & Iohannes* tantum pulli mentionem faciunt; sed rectius *Theoph. D. Thom. Lyran. Cajet.* & alii, qui & asina & pullo vectum esse sentiunt; apud *Zach.* vox *וַחֲמֹר* in fontibus invenitur, quæ tum asinum tum asinam significat.

34. Non audiendus itaque *Bucerius*, qui statuit, Christum non super asinam, sed pullo tantum in vectum esse, ideoque synecdochicè accipienda verba Matthæi, sed ad oculos 1. *Matth.* demonstrat, super utroque jumento Christum in hoc solenni ingressu per vices in vectum esse. 2. de utroque prædicit *Zacharias cap. 9. v. 9.* 3. accedit mandatum Christi: *Invenietis asinam & pulum, &* 4. necessitas, Dominus his opus habet; unde *Matthæus* non in singulari, sed plurali dicit, *ἐπέθικαν ἐπὶ αὐτῶν*; simili modo

modo D. Iohannes meminuit *drags* quod tam de asina, quam de pullo potest accipi.

QVÆSTIONES EX HAC PARTE,

1. An Christus sit Rex? 1. Cui verè & realiter Regis nomen competit, ille est Rex: Atqui Christo verè & realiter Regis nomen competit. Ergò Christus est Rex, Major patet. Min. prob. *Zach. 9. v. 11.* Rex tuus, Rex noster *Esa. 33. v. 22.* constitutus Rex. *Psal. 2. v. 6.* regnabit Rex. *Jerem. 23. v. 5.* Rex gloriæ. *Psal. 24. v. 10.* Rex magnus *Pf. 95. v. 3.* Rex sempiternus. *Jerem. 10. v. 10.* *Matth. 2. v. 2.* *Malach. 1. v. 14.* 2. Christum Regem esse probat ingressus Regius; cum semper pedibus iter ingredi solitus esset, nunc novum quid auspiciatur. 1. jubet sibi asinam adduci cum pullo, quibus insidens regium celebrat ingressum. 2. patitur quoque sibi acclamari Hosianna. Ex *Psal. 118. v. 25.* 3. Vestimenta sibi supponi, ramos olivarum & palmarum præferri, qui honos saltem Regibus exhibitus.

Q. 2. An Christus sit Rex mundanus? Christum non esse Regem mundanum probatur 1. à commendatione paupertatis; apud Zachariam; in politicis quippe Regibus; nequaquam paupertas laudatur, ast in hoc Rege summi beneficii nobis præstiti loco, commendatur; non vehitur equo militari, sed humili asello, non adsunt arma, clypei, arcus, gladii, sed juba & acclamationes populi, non aurea tapetia, sed discipulorum vestimenta, non armati, sed inermes discipuli, subditi exigui, turba puerique ipsi acclamantes: Qualitas hujus Regis apparebit, si regni qualitatem consideremus, quod triplex 1. potentia. 2. gratia. 3. gloria. Distinguitur autem hoc modo Christi regnum ratione administrationis, quæ modos concernit diversos; CHRISTI enim regnum inquit *B. Luther. tom. 2. fol. 303. hic & in futuro; hic in fide inchoatum, in futuro per gloriam consummandum.* 2. Quale regnum, talis quoque Rex: *Iob. 18. v. 36.* regnum meum non est de hoc mundo; discrimen si paucis saltem attingamus, facile patebit. 1. membrum sumitur à personarum diversitate, 1. in terris Rex mortalis gubernat; ast Christus immortalis. 2. Rex terrenus corporalibus, Christus simul & conscientis dominatur; unde Rex Stephanus
piè

plē edicto de pac. relig. servand. etiā hōc addidit, nolle sese
conscientiis dominari, siquidem Deus solus sibi hæc tria reservā-
rit. 1. creare aliquid ex nihilo. 2. nosse futura. 3. dominari
conscientiis. 2. respectu formæ, in regimine politico eminent
sapientes ac prudentes hujus mundi, unde rectè Plato: tūm de-
mum florebit Respubl. cum aut prudentes gubernationi præ-
sunt, aut Principes ipsi sapere discunt: in cœlesti mundi sapientia
est stultitia 1. *Corinth. 2. v. 14.* 1. *Corinth. 1. vers. 26.* 1. *Corinth. 3. vers. 18.*
si quis videtur sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat. 3. respectu
instrumenti Reges Politici, bombardis, gladiis; Christus verbo
utitur. *Hebr. 4. v. 12.* *Roman. 1. v. 16.* 4. respectu finis. Regimen-
mundanum, spectat pacis conservationem, justitiæ administratio-
nem & hujus vitæ commoda. In regno Christi spiritualia &
cœlestia bona distribuuntur ad salutem credentium æternam.
Ex quibus constat avocandos esse Judæos à præconcepta & falsa
opinionē de Messia Rege mundano futuro: Est certè Rex, sed cœ-
lestis, habet quidem regnum, sed cœleste: Est ordo, est certa poli-
tia, in qua unus præest Christus, sed est cœlestis & spiritualis: unde
D. Paulus Philipp. 3. v. 2. nostrum πολιτευμα est in cœlis.

3. An Papa sit Vicarius in Christi regno? In propatulo est Pa-
pam Romanum Vicarium se Christi jactitare, sed quantum discrimen,
quantaque dissimilitudo inter Christum & Papam? inter
Christi & Papæ regnum? in Christo nostra est justitia & salus
1. Cor. 1. v. 31. justificat *Esa. 53. v. 6.* factus pro nobis peccatum.
2. Cor. 5. v. 21. ipse nobis redemptio factus *1. Cor. 1. v. 31.* Sed Papa
quid? AntiChristus Nos talem proponimus Pontificiis syllogis-
mum. 1. Quicumq; Christo ejusq; verbo contrarius, ille non est
Christi Vicarius. Atqui Papa Rom: Christo ejusq; verbo est cōtra-
rius. E. Papa Rom. non est Christi Vicarius. Major prob. quia qui
Christo sese opponit, destructionem magis, quàm Ecclesiæ ædifi-
cationem molitur. Min. prob. quia 1. Christus humanas tradi-
tiones damnat *Matth. 15.* Papa traditiones approbat. 2. Christus in-
quit, Bibite ex hoc omnes *Matth. 26. v. 27.* Papa, bibite non omnes,
sed soli Sacerdotes. 3. Christus sola fide justificari homines do-
cet *Rom. 3. v. 28.* & *5. v. 1.* Papa non sola fide, sed operibus ad justifi-
cationem opus esse contendit, ô præfractam audaciam, Vica-
rie bone, cui plus arrogantia quàm veritatis doctrinæ competit,
tunc in regno Christi vicarius! absit, Christum Vicario opus ha-
bere,

berē, ille enim solus est caput Ecclesiæ *Ephes. 1. v. 25. & 4 v. 15.*
E. non Papa. 2. à præsentia. Si Christus nobiscum est omnibus
diebus, usque ad consummationem seculi, *Matth. 28. v. 20.* Vica-
rio in suo regno non indiget. Atqui verum prius. E. & posterius,
Conseq. probatur, quia non præsentis sed absentis est habere vi-
carium, qui vice regis fungi jubetur: & quinam talem sibi con-
stituisset vicarium Filius Dei, qui veritate careret? qui sanitatem
restituere? eiq; faucibus infernalis istius Draconis homines eri-
pere non posset? quomodo homini pro universa Ecclesia vigila-
re, possibile? luce profectò meridiana exinde clarius apparet,
Papam extra cancellos regni Christi vagari, 3. à regiminis di-
versitate. 1. Papæ regnum est mundanum: Christi verò regnum
est coeleste, spirituale & æternum, ipse enim Rex immortalis 1. *Ti-
moth. 1. v. 17.* Rex Regum & Dominus dominantium 1. *Timoth. 6.
v. 15.* 2. In Papæ regno leges sunt humanæ traditiones; in re-
gno Christi Verbum Dei, scripta Prophetica & Apostolica, in
quibus norma justitiæ sufficienter expressa. 2. *Pet. 1. v. 19 Ephes. 2.
v. 20. Rom. 15. v. 4.* 3. Papa corporalibus armis, imò fraudibus
propagat suum regnum; Christus per prædicationem Evangelii.
4. In regno Papæ subditi conferunt census, vectigalia, tributa.
unde alitur & sumptus pro gubernatione regni facit: ast in regno
Christi subditi donat Rex spiritualia & corporalia dona *Ephes. 4.
v. 8. Rom. 6. v. 23.* donum Dei vita æterna per Jesum Christum;
quomodo non omnia nobis cum illo donarit *Rom. 8. v. 33.* 5. Chri-
stus vehitur asino; Papa equo phalerato, cujus oppositionis mem-
bra recenseri possent longè plurima. Quare cum regnum Christi
tantoperè à regno Papæ differat, ex eo immotè colligitur; Papam
non esse Christi Vicarium, quia Christus in diebus carnis suæ,
nunquam tale regnum inchoavit, sed per Verbum & Sacramenta
in cordibus hominum spirituale regnum cœpit; sed relinqui-
mus Papam & convertimus nos ad Christum cum Regio Psalte
cantantes: Venite exultemus Domino, jubilemus Deo Salvatori
nostro *Psal. 95. v. 7.*

4. An Ecclesiæ veritas ex multitudine, amplitudine & splen-
dore externo æstimanda? Errant Papicolæ, dum Ecclesiam ve-
ram ex magnatibus mundi conflata esse autumant; sed ferit
hocce exemplum istius divitis, ex magnatibus haud postremi, qui
recu-

recusabat audire Mosen & Prophetas, unde ardet in gehenna; sed Lazarus pauper ac mendicus, fruitur sinu Abrahamæ *Luc. 16.* corrigi hosce hodiernum Evangelium; hic enim non adest aula Imperatoris, non clerus Ierosolymitanus, sed turba quæ non novit legem *Iohan. 7. v. 50.* pueri acclamantes, discipuli piscatores; sed pellicula Phariseorum induti sunt Papicolæ, Pharisei eo tempore scandalizati ob paupertatem Christi sedentis super asinam, idem hodie contingit Papicolis, provocant ad amplitudinem & splendorem suæ Ecclesiæ: sed nos melius edocti, scimus Christum habere gregem pusillum *Luc. 12. v. 32. Sophon. 3. v. 12.*

III. Pars.

De populi comitatu.

35. In tertia parte considerandæ i. personæ, quæ non fuere Pharisei ac Scribæ, sed discipuli & turba miraculosæ resuscitationis Lazari spectatrix *Iohan. 11. v. 45.* Discipuli parati i. adducendo. 2. imponendo. 3. collocando, ex quibus studium in promovenda Christi gloria elucescit, non semetipsos imponunt, sed vestimentis asinam ornant. Cum viderent Domino propositum esse Ierosolymam hisce animalibus vectum ingredi, instraverunt & ornavunt illa, ut potuerunt optimè, loco ephippiorum aureorum, stragulorum hyacinthinorum, stapedum argenteorum & inauratorum, cæterorumq; huiusmodi pretiosorum stratorum, quæ non suppetebant, palliis ea suis operuerunt, quæ certè quovis pretiosissimo equino strato, chariora ipsis erant, quò tùm commodiùs, tùm honorificentius sederet, nec nuda animalium terga incommodè parumq; honestè, premere cogeretur, nihil vercundati vestibibus se nudare, & absque palliis comitari, modò constaret Domino, qui debebatur ipsi honor; hinc iudicium de Christo Rege faciendum.

36. Licet carebat ephippio, equo, phaleris, interim tamen observantiæ studium, ac reverentiam erga ipsius majestatem, populus declarat, quare non solum gestus illi admirabiles, sed acclamations & voces ipsæ, regiam dignitatem Christo adscribunt, dum i. vestimenta sternunt in via. 2. cædunt ramos de arboribus, non ut fieret commodior via, nam procul dubio sparsis ramis minùs commoda reddebatur, sed potiùs, ut vel sic Mes-

fiam honorarent; sternere quippe Christo vestes calcandas, ma-
gni honoris Messiae exhibiti, argumentum fuit: unde *Plutarch. in*
Cat. Vit. refert, quod milites ut Imperatorem magno honore af-
ficerent, vestes suas ei calcandas supposuerint, & manus ejus oscu-
lati fuerint, ramos quoque de arboribus sternebant in viam: Ju-
daeis enim consuetudo fuit in Festo tabernaculorum ramos gesta-
re *Levit. 23. v. 40.* thyrsos, ramos virides & palmas praeferebant
2. Mach. 10. v. 7.

37. *Morem fuisse scribit Iacob de Valent. Ps. 117.* Judaeis, ut a-
gnunt, quem immolaturi erant in die Paschatos decima die pri-
mae mensis, magna cum pompa & floribus & ramis ornatum ad-
ducerent atque includerent: ipsi enim (test. Montan. ex lib. *Judae*:
in *Marc.*) Judaei, vestimenta sternebant: quae ceremonia erat il-
lorum, qui Regem aliquem suscipiebant, ramorum stramine pu-
blicam laetitiam & festum diem significabant: sic per dies expia-
tionum & tabernaculorum, singuli ramos myrti, salicis, palmaeque
cum citro gestabant, salutis autorem *DEUM*, hujusmodi voce
Hosianna appellantes, ut est in lib. *Misnarot. & Aruch.*

38. *Philo de leg. ad Cai. Agrippam* scribit ramis sive frondibus &
floribus aspersum fuisse cum venisset Ierosolymam: Alexander
quoque (ut ait *Ioseph. lib. 11. antiq. c. 8.*) fertis coronata urbe exce-
ptus est. Cum itaque & plebecula in monte oliveti esset, ubi ra-
morum copia erat, ex arboribus ramos frangebant viamque ster-
nebant: alii pro tapetibus, quibus carebant vestes straverunt, ra-
mosque adhibuerunt: alii vero aliunde ramos palmarum videntur
attulisse, de quibus *Iohan. 12. v. 13.* acceperunt ramos palmarum,
eique obviam processerunt: palmas 1. praeferebant, siquidem palmae
natura test. *Gell. lib. 2. N. A. c. 6.* quod quod magis premitur, eo ma-
gis crescit. 2. Palmae olim fuerunt signa victoriae *Plutarch. lib. 8.*
Symp. hinc electi apparent cum palmis. *Apocal. 7. v. 1.* significans
igitur Christum esse victorem & triumphatorem 1. *Reg. 15. v. 29.*

39. Caeteri Duces 1. victoriae triumphique socios habent mi-
lites, quibus major videtur triumphique pars deberi; at noster Tri-
umphator nullum victoriae triumphique socium habuit, illi soli vi-
ctoria triumphusque debetur, juxta illud *Esa. 6. v. 3.* torcular cal-
cavi solus. 2. Caeteri Reges post superatos hostes, Rex noster
ante certaminis initium triumphat. 3. nullus Rex est alius qui
vinci

vinci nullo modo possit; solus Rex noster, nullo modo, nulla arte, nulloq; tempore superari potest; Rex est invictissimus, si incertamen descenderit, necessario triumphum reportabit. *Apocal. 6. 7. 2.* exivit vincens, ut vinceret, quotiescunque exit, vincens exit, & ut vincat, exit, unde sortitus est nomen *1. Reg. 15. v. 29.* Deus triumphator in Israel. 4. modus vincendi quoque à mundanis Regibus est alienus isti bombardis, gladiis, hastis; hic mansuetudine, humilitate, patientia vincit: quamplurimos vidit mundus triumphos, sed huic similem, nunquam vidit, aut videbit alium.

40. Hac officiosa tam discipulorum, quam turbæ promptitudine abutuntur Pontificii: *Locus est (inquit Stapleton. in-promp. catv) ostendendi contra hæreticos, externas ceremonias Ecclesiæ, ornamenta Altarium & templorum, propter præsentiam venerabilis Eucharistiæ, & propter Dei cultum ac sacrificium, rem esse Deo gratam ac laudabilem, sicut Christo grata fuit hæc Apostolorum & populi erga eum devotio externa.*

41. Huic assentitur *Coster. p. 574.* Licebit per vestes hæc intelligere, ornatum illum, quem in honorem Christi & Sanctorum Ecclesiæ impendimus, cui hæretici, cum Iuda proditore sese opposcentes, obstrepunt, ad quid perditio hæc? neq; enim decet nos, qui plus beneficiorum accepimus, à Iudeis libertate superari, in quorum augustissimo templo, non nisi aurum, argentum & gemma pretiosissima relucebant.

42. Nos non rejicimus decentem Ecclesiæ ornatum (non verò ratione necessitatis, sed honestatis) citra opinionem cultus adhibitum, non ut adoremus Mariam, invocemus Sanctos, & quæ alia apud Papicolos in exercitio cultus publici deliria quamplurima: ut enim reliqua prætermittamus contra *εὐσεβοῦσιν* in regno Papali usitatissimam ex hoc loco sic argumentamur: Si adorant crucem, cur non adorant præsepia? ut *rectè Claud. Hispan. adversus Ionam Aureliens. Episcop.* argumentabatur: Si omne lignum schemate crucis factum, volunt adorare pro eo, quod Christus in cruce pependit, & alia multa illis convenit, quæ Christus egit per carnem; vix enim sex horis in cruce pependit, & tamen novem mensibus in utero virginis fuit: adorentur ergo puella virgines, quia virgo peperit Christum: adorentur & asini, quia a sella insidendo ad Ierusalem usq; pervenit; adorentur agni, quia scriptum est: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi: sed isti perversorum dogmatum cultores agnos viros volunt vorare, & in pariete pictos adorare. hac ille.

43. Nec

43. Nec locum relinquimus Calvinianis, ornatum Ecclesiae damnantibus; tollatur enim abusus & maneat usus.

44. 2. Acclamatio & gratulatio, in qua 1. considerandus ordo, prior comitatus antecedit vestibus ramisq; viam sternens, posterior sequitur Christum, pari studio & animo, inter hos Christus tanquam Rex in medio equitat: quod majestatem regiam arguit, quis enim sic disposuit? quis convocavit? quis consilium dedit sternendi viam? quis consonum hunc concentum dictavit? utique Spiritus Dei, qui sic ornari Filium suum voluit à turba.

45. 2. Acclamantes sunt præter 12. Apostolos complures discipuli, & ut emphaticè inquit Lucas ἀπὸν τὸ πλῆθος plurima sive copiosa turba: hi omnes clamant, HOSANNA filio David, benedictus, qui venit in nomine Domini, HOSANNA in altissimis: Messias enim ab omni statu, sexu & ætate laudandus Ps. 148. v. 12. & 13. 138. v. 4. & 5.

46. Sed quid propriè vox HOSANNA significet, variant auctores D. Hilar. & Ambros. exponunt redemptionem domus David. Augustin. vocem obsecrantis esse statuit. Theophylact. hymnum & Psalmum, cujus sententiæ quoque accedit Euthym. Hieron. vertit salvifica, sive salvum fac ex Ps. 46. v. 2. quæ Hieronymi sententiæ est recepta: unde חַוְוִי אַדְדֵּ נָא fit HOSANNA, h. e. salva obsecro: Nec simpliciter hosanna est dictio precatoria, secundum usum Hebræorum, sed & talis quæ cum gaudio mentis & gratiarum actione, ob beneficia à Deo præstita, petitur conservatio & prosperitas acceptorum beneficiorum: Lucas pro eo posuit pax in cælo & gloria in excelsis; fuit enim Græci sermonis eruditissimus, & studiosè ab Hebræis dictionibus abstinet exprimens affectum eorum, qui HOSANNA clamabant, non autem exactè vocabuli significationem.

47. Ostendit Munsterus hac voce Iudæos usos, tanquam Chaldæâ, aut corruptâ Hebræâ; cui blanditur Costerus p. 597. Nec turba Iudæica, dilecto Syriacæ (tantum ab Hebræa distanti, quantum Gallica à Latina lingua) assueta, Hebræica vocabula Psalmi intellexit; nec tam sublimes res, quas de Christo deprædicabant, per captus imbecillitatem, intelligere potuit.

48. Sed eosdem Mulfuhrer. in disp. supra Domin. 1. Adventus th. 50. 51. & seq. eleganter refutat.

49. Coronidis loco inconstantiam mundi in hoc spectaculo con-

considerare possumus; Ramorum enim amœnitati similis est mundi gloria, carebant rami illi radice, ideoque paulò post aruerunt; eundem in modum mundi gloria, honores, voluptatesq; radice carent, breviq; temporis spatio exarescunt *Syrach. 40. v. 2, 3.* & seq. ubi sunt Principes gentium? quærit *Baruch. c. 3. v. 10.* ubi opes? ubi voluptates? ubi honores? exterminati sunt: item *Pf. 37. v. 2. 90. v. 6. & 129. v. 5.*

50. Talis quoque honos Salvatori nostro exhibitus à mundo, affluxit quidem gloria copiosè, sed mox eadem refluxit: 1. rami olivarum paulò post in spineam coronam commutati. 2. palmæ in crucem. 3. Hosianna in opprobria: ô quàm dissimilis sibi facta est Jerusalem, quàm inconstans, quàm mobilis! O quàm dissimile est, ait D. Bernhard. serm. 2. tolle, tolle, crucifige, crucifige illum, & benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis, quàm dissimile rami virentes, & crux, flores & spinæ; ideoque relinquamus mundum, eaq; quæ sursum quæramus *Col. 3. v. 1.* quæramus primò regnum Dei *Matth. 6. v. 33. & c.*

QVÆSTIONES EX HAC PARTE.

1. An Messias exhibitus? Meritò Judæorum cœcitas de promisso Messia, taxanda, qui Messiam nondum exhibitum esse, somniant, putantes in majestate pompaq; singulari, more politicorum Regum, venturum, sed cum verum Messiam repudiarint, frustra alium expectant: Utimur contra eos his argumentis: 1. Si Bethlehem stante adhuc, nasci Messiam oportuit; Messias est exhibitus: atqui illud: E. & hoc. Conseq. prob. ex *Michæ. 5. v. 2.* 2. Oportuit Messiam exhiberi stante secundo templo, juxta Prophetiam *Haggai c. 2. v. 10.* sed illud ante multa secula destructum. E. Messias est exhibitus. Et certè si nullum nobis contra Judæos superesset argumentum, ingressus Christi triumphalis in Jerusalem, nobis sufficeret; Neque quicquam obtinent, si objiciant adhuc superesse Bethlehem. Resp. Superest quidem, sed nomine non re, siquidem Bethlehem in qua nasci dedebat, funditus est eversa; quæ hodiè sic appellatur non in Ephrata, sed penes Joppen est sita. 3. Idem probat tempus adventui Messiaë destinatum, sic enim inquit Jacob: *Non auferetur sceptrum de Iuda, nec scriba de medio pedum ejus, donec venias Siloh Gen. 49. v. 10. Semper autem (dicente VVigande*

gando de advent. Meß. f. 230.) duravit sceptrum Iuda, h. e. aliqua domi-
nandi potestas, quamvis non habuerit eandem rationem, donec ab Herode oc-
cupatum sit regnum ipsorum, circiter 34. annos ante Christi nativitatem;
præterea circiter sui regni annum trigesimum, Sanhedrin, quod erat judi-
cium gravissimum septuaginta virorum ex regia stirpe ortorum, penitus est
sublatum.

2. An Christus sis verus Messias? Quicumque omnes officii
partes, de quibus vaticinati sunt Prophetæ, peregit, ille est verus
Messias: At Christus omnes officii partes, de quibus vaticinati
sunt Prophetæ, peregit. E. Christus est verus Messias. Probo, 1.
Messias debuit esse Doctor Ecclesiæ *Esa. 2. v. 3.* 2. instituere mini-
sterium docendi omnes gentes *Esa. 9. v. 2. Ps. 19. v. 5. 68. vers. 12.*
3. veram agnitionem Dei in cordibus hominum accendere. *Esaia*
42. v. 1. & 7. 4. peccata pottare *Esa. 53. v. 4.* 5. peccata expiare
Miche. 7. v. 18. Ps. 130. v. 8. 6. vincere Diabolum *Genes. 3. vers. 15.*
7. liberare nos a morte æterna *Ose. 13. v. 14.* 8. ab ira Dei *Esa. 35.*
v. 4. Zachar. 9. v. 1. 9. adferre benedictionem *Gen. 12. v. 3. 10. ac*
justiciam *Esa. 45. v. 7. Malach. 4. v. 2.* 11. redimere genus huma-
num *Esa. 41. v. 15. & 47. v. 4.* Atqui Jesus Nazareus has officii
partes omnes implevit. E.

3. An solum Judæorum, an etiam Ethnicorum sit Messias?
Messiæ beneficia non ad angelos, sed homines pertinere manife-
stum est ex *Hebr. 2. v. 16.* nunquam angelos, sed semen Abrahamæ
assumpsit; sed quæritur, an ad omnes homines, non solum Ju-
dæos sed etiam Ethnicos pertineat? Nos sic concludimus, 1. Qui
oneratos omnes ad se jubet venire, ille non solum Judæos sed
& Ethnicos ad se jubet venire (quia & illi onerati) Messias om-
nes oneratos jubet ad se venire. Ergo non solum Judæos sed
& Ethnicos ad se venire jubet, & per consequens, non solum Ju-
dæorum, sed & Ethnicorum est Messias: Major patet: Minor
probatur *Matth. 11. v. 28. Esaia 55. v. 1.* 2. Quicumque omnium
vult salutem, ille non solum Judæorum, sed & Ethnicorum vult
salutem: Sed Messias vult omnium hominum salutem. Ergo
Messias non solum Judæorum, sed & Ethnicorum vult salutem,
& per consequens, non solum Judæorum sed & Ethnicorum est
Messias, Major patet, Minor probatur, *Ezech. 33. v. 11. Iohan. 3. v.*
16. Rom. 11. v. 32. 1. Timoth. 2. v. 4. 2. Petr. 2. v. 9. 2. Corinth. 5. v. 15.
3. Deus

3. Deus non vult mortem peccatoris, *Ezech. 33. v. 11.* Gentiles sunt peccatores. Ergo etiam eorum mortem non vult, sed salutem. 4. Idem aperte testatur D. Paulus *Rom. 3, v. 29* non tantum Judaeorum, sed & Gentium Deus; constat etiam ex *Rom. 9. v. 6.* & aliis locis, omnes credentes, non solum ex Judæis sed etiam Gentibus esse Israelitas, si non secundum carnem, attamen secundum promissionem, ille enim salvabit populum suum, de terra orientis, & de terra occasus Solis, *Zach. 8. v. 7.* judicium meum, ut congregem gentes, & colligam regna *Sophon. 3. v. 8.* Licet ex gente Judaica tantum nasciturus Messias, tamen ad omnes gentes omnium ætatum ex æquo pertinet, quemadmodum enim omnes ex Adamo traxerunt peccatum, ita omnes per Messiam sunt restaurandi.

4. An Christus Filius David? Contrarietatem nonnulli in Genealogia D. Matthæ & D. Lucæ sibi somniant, & hanc ob causam Christum non esse filium Davidis jactitant; sed hi magis produnt ignorantiam, quam ut proferant sapientiam: liquidò enim constat, nullam inter Matthæum & Lucam demonstrari posse contrarietatem, siquidem unam eandemque substratam habent materiam, intentioq; apud utrumque eadem est, scilicet Christum Jesum ex semine David secundum carnem nasciturum: attamen hoc discriminis utrique intercedit: Matthæus descendendo à majoribus ad nepotes: Lucas ascendendo à nepotibus ad majores Genealogiam contexit: Ordo verò rem ipsam non tollit: Lucas regreditur à Christo, usq; ad Adam protoplastum, & Deum ipsum opificem generis humani, propter Gentes. Matthæus præteritis majoribus Abrahamæ, ab ipso Abrahamo propter ipsos Judæos, orditur; de reliquis *εαντιοφανείαις* notetur illud Nazianzeni:

Ἐυαγγελιστῶν δὲ ὅς μὲν εἶπε τὴν φύσιν
Ματθαῖος, ὅτ' ἐξ ἄραψε Λυκάς τὸν νόμον.

In Gente Christi, seminis propaginem
Matthæus enumerat, sed illam præterit
Lucas, suæ legis secutus ordinem,

D

ERROR

ERROR POSTILLATORUM SUPER
PER HOC EVANGELIUM.

1. Per asinam significari humanam Christi naturam, Johan. ab Eck.

2. Concilium Agathense & Elibertanum docuit: Si Laicus die Paschatos, Pentecostes & Nativitatis Christi non S.S. Synaxi utatur, hunc non esse verum Christianum dicendum.

3. Ex hoc triumphali Salvatoris ingressu Ecclesia processionis sumit exordium, uti etiamnum in usu est, videlicet solennis circumgestatio venerabilis Sacramenti, Reliquiarum, Imaginum Sanctorum, Coster, p. 579, v. 580.



ERROR

AD



AD DOCTISSIMUM DOMINUM
Respondentem, Philosophiæ Can-
didatum.

TE quoque GIESENHAGI trahit ad sese en-
theus ardor
Cœlestis Sophiæ, ut prælia sancta Jehovæ
Ducere nequaquam formides, Flaminis almi
Robore suffultus. Qui mentem hanc indidit,
idem
Prosperet ausa Deus, cœptisq; his annuat æquus.

Joh. Gerhard D.



SUO CHARISSIMO COMMEN-
SALI.

Discere si quis avert, quæ sit sententia vera
Verbi, GERHARDUM consulat iste Virum:
Discere si quis avert, quas Adversarius infert,
Fraudes, GERHARDUM consulat iste Virum:
Hic GERHARDUS enim presens ad utrūq; paratus,
Vera simul doceat, Falsa refutet ovans.

Sub

*Sub Duce GERHARDO victoria certa parata
Sub Duce GERHARDO lata trophaea vigent.
UDALRICE, tuus conatus & ausa merentur
Quapropter laudem, quæ sine fine manet:
Dum tibi fert animus VERUM non discere tantum
Sed quoque, quod FALSUM, ritè secare satis.
Perge, velut pergis, nullo sic excidet ævo
Nomen, sed laudes semper habebit, Amen.*

M. Immanuel Hasius Aumen-
sis, Diaconus Jenensis, Hospes
faciebat,



94 A 7385

ULB Halle
002 728 095

3




VD17



1. An die ...
2. ...
3. An die ...





21

TIO
n. I. Adven-
marum.

CE
D E

RHARDO
OFESSORE
GO

*receptore multis
endo.*

roponie
ENHAGEN.

ap.
Decembris.
C. XVI.

Æ
INMANN.

